



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Senex sine religione. tit. 275

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

ribus facimus magnam conscientiam & maiora relinquimus. Ideò Gerson ait: ò pium verbum, certum verbum, & omni acceptatione dignissimum, Acto. 15. Quid tentatis Deum, imponentes iugum super cervicem discipulorum; quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluari, quemadmodum & illi, sicut dicit Dominus etiam contra illos superstitiosos, Ierem. 16. Seruietis dijs alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem. Christus autem qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. parum curatur, &c.

Apud fidelem igitur plus autoritatis habere debet Paulus, quam Tullius: Ioannes, quam Aristoteles: Euangelium, quam humanum commentum, sicut etiam dicit Augustinus de baptismo contra Donatistas, libr. 2. cap. 2. quòd literæ canonicæ solùm hunc habent honorem, vt de illis dubitare non liceat: Non autem sic est dicendum de alijs hominum doctrinis.

## SENEX SINE RELIGIONE.

## TITVLVS CCLXXV.

**M**ALVM signum est in senè, si sine religione inueniatur. Plus enim omnibus senes religioni operam dare decet, quos presertim sæculi florida ætas trãsa acta deseruit. Sicut enim in lignis ipsa arbor reprobã apparet, quæ post flores, non etiam fructus optimos cultori suo exhibet. Sic & in hominibus ipse probus non est, sed reprobus, quem flos iuventutis deseruit, & tamen in senectute sua bonorũ operum maturos fructus profere parumpendit, Mat. 3. & 7. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & 1. Corin. 13 inquit Apostolus: Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus;

QQQ  
lus;

lus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus sum vir, euacuauit ea quæ sunt paruuli.

Secundò, quid enim stolidius potest fieri, si mens ad perfectionē festinare nō contēdat, quādo totius corporis habitus senectute cōsectus, ad interitū pperat, dum oculi caligant, aures grauius audiūt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi mutantur, cutis arefcit, flatus nō suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat: etiā homo interior qui nō senescit, ijs omnibus aggrauatur? Idē ergo deus permittit hominē externū corrūpi, vt internus crescat, sicut dicit Apostolus. 2. Co. 4. licet is qui foris est noster homo corrūpitur: tamen is qui intus est, renouatur de die in diē. Corruptio ergo externi hominis, nunciū est mortis, sicut dicit Grego. in homilia: Quotidianus defectus orationis quid aliud est nisi quēdam prolixitas mortis? Flos igitur mortis, est ipsa canities & continua infirmitas. Quid ergo superest, nisi vt dum huius vitæ defectus appropinquat, nihil cogitemus, quā quomodo futuræ vitæ aditus properē comprehendatur? Eccl. 7. memorare nouissima tua &c. Iuuenibus incertus est dies mortis attamē senibus maturior.

Tertiò, cauenda sunt duo in sene, quæ cum carne non veterascunt. Cor quod non cessat semper nouas machinari cogitationes: lingua, quæ impigrè loquitur quodcunque cor machinari senserit. Hæc enim vitia odit Deus, Prouer. 6. Cor machinans cogitationes pessimas, linguam mendacem &c. odit Dominus &c. Cauere ergo debet senilis ætas, ne iuuenescat in moribus, verbis & leuibus gestibus, ne dicatur. Dis pueri senes: sed consideret, quid ætate eminenti, & grauitate dignum sit, vt bono exemplo præsit iuuentuti sine scandolo, ne ætatem laudabilem, vilem reddat, sic commendatur Simeon ille iustus & timoratus

ratus, Lucæ, 2. & vidua. 84. annorum: Eleazarus, qui noluit comedere carnes contra morem Iudæorum, 2. Machabæor. 6. At mali senes & lasciuu notantur Daniel. 13. à senioribus egressa est iniquitas, de talibus dicitur Esaiæ 65. Maledictus puer centum annorum atque peccator, & cætera. Ideò petijt Dauid Psalm. 70. Ne proijcias me in tempore senectutis, & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

*ADOLESCENS SINE  
obedientia.*

## TITVLVS CCLXXVII.

**A**POSTOLVS 2. Timoth. 3. inquit, quod in nouissimis diebus in stabūt tēpora periculosa, & erunt tunc homines seipso amantes & cæt. & memorat ibidē, quod tunc erunt adolescentes sine obedientia parentū. Nam inquit, Parentibus inobedientes: & communiter ex illis fiunt fornicatores, lutores, fures, homicidæ, mundi & sathanæ martyres & pondera patibuli. Odiuit Cain fratrem, Gen. 4. & fit homicida. Derisit Cham patrem suum, Genes. 9. & maledicitur. Absalon persequitur patrem, & seipsum suspendit, 2 Reg. . 18. Inobedientia ergo filiorū erga parentes, non relinquetur à Deo inulta. Exod. 20. Honora patrē & matrem, vt sis longæuus super terram.

Secundò, docuit Tobias filium timere Deum, honorare parentes eisq̄e obedire, fugere fornicationem, elemosynam dare pauperibus, præmium dare mercenarijs, & Deum petere, vt vias suas dirigat, Hæc sunt opera, quæ docere debent parentes filios, non illis blandiri ad pompam mundi, diuitias, atque peccata. Sic mulier saluabitur per generationem filiorum, si permanferit in fide & dilectione & sanctificatione & sobrietate, 1. Timot. 2. Sic reuelant Angeli

QQQ 2 gcli